TIT. X.

QUANDO NON PETENTIUM PARTES PETENTIBUS ADCRESCANT.

1. Imp. GORDIANUS A. Marthanæ.

Quotiens pluribus liberis, cessante legitima successione, bonorum possessione defertur [beneficium] edicti perpetui quibusdam omittentibus, his solis qui bonorum possessionem agnoverunt, portionem non petentium accrescere[1], in dubium non venit. — Dat. id. Januar. PEREGRINO et ÆMILIANO CONSS. 245.

TIT. XI.

DE BONORUM POSSESSIONE SECUNDUM[1] TABULAS.

1. Imp. ALEXAND. A. Vitali.

Pendente appellatione a sententia, qua falsum[2] testamentum pronuntiatum est : incerto adhuc, an defunctus intestatus decesserit : proximitatis nomine bonorum possessioni locus[3] non est. — Dat. 3 kal. Maji, MAXIMO 2 et ÆLIANO CONSS. 224.

2. Imp. GORDIAN. A. Cornelio.

Bonorum quidem possessionem ex edicto prætoris nonnisi secundum eas tabulas, quæ septem[4] testium signis signatæ sunt, peti posse, in dubium non venit. Verum si eundem numerum adfuisse sine scriptis testamento condito, doceri potest : jure civili testamentum [factum] videri, ac secundum nuncupationem bonorum possessionem deferri, explorati juris est. — P. P. 12 kal. Mart. ATTICO et PRÆTEXTATO CONSS. 243.

TIT. XII.

DE BONORUM POSSESSIONE CONTRA[1] TABULAS, QUAM PRÆTOR LIBERIS POLLICETUR.

1. Imp. ALEXAND. A. Rufo.

Liberi, contra tabulas parentum bonorum possessione admissa, solis parentibus[2] et liberis legata præstare secundum edictum debent. — P. P. 4 idib. octobr. MAXIMO 2 et ÆLIANO CONSS. 224.

2. *Idem*, A. Claræ.

Posthumo nato[3], qui neque heres institutus a patre neque nominatim exheredatus est, testamentum rumpitur. Et si contra[4] tabulas bonorum possessio infantis nomine a tutore petita est : secundum tabulas [bonorum] possessio locum habere non potest. — Dat. kal. Mart. JULIANO 2 et CRISPINO CONSS. 225.

TIT. XIII.

DE BONORUM POSSESSIONE CONTRA TABULAS LIBERTI[1], QUÆ PATRONIS LIBERISQUE EORUM DATUR.

1. Imp. GORDIANUS A. Herculiano.

Licet ex causa fideicommissi[2] manumissus sit [is,] quem ex voluntate patris cum sorore [tua] te manumisisse proponis : tamen, si extraneos scripsit heredes, partis[3] legitimæ contra tabulas ejus bonorum possessionem petendo, vel contra[4] nuncupationem, si testamentum sine scriptis conditum est, intra tempora edicto præstituta eam partem poteris obtinere. — P. P. 6 kalend. decemb. GORDIANO A. et AVIOLA CONSS. 240.

2. Imp. ANASTASIUS A. Asclepiodoto.

Patronus, liberti muneribus[5] electis, et operis[6], a contra tabulas bonorum possessione repellitur. — Dat. 13 kal. Mart. VIATORE et ÆMILIANO CONSS.

TIT. X. — 1. L. 3, in fin. D. de bonor. possess. : L. 67, D. de adquir. vel omitt. hered. ; L 4, pr. D. quis ordo in bon. poss. ; L. 1, § 9, D. ad SC. Tertull.
TIT. XI. — 1. Lib. 37, D. 11. — 2. L. 46, D. de adquir. vel omitt. hered. — 3. *Adde* L. 5, supr. qui admitti ad bon. poss. ; L. 8, infr. commun. de success. ; *fac.* L. 89, D. de reg. jur. — 4. L. 7, D. h. t. : L. 3, D. unde liberi ; *fac.* L. 12, infr. de testam.
TIT. XII.— 1. Lib. 37, D 4.— 2. L. 20, § 2, D. h. t.; L. 6, § 9, D. si quis omiss. caus. testam.; L. 1, pr. D. de legat. præstand. — 3. L. 1, L. 2, L. 3, infr. de posthum. ; L. 1, L. 3, § 3, D. de injust. rupt. irrito facto testam.; § 1, Inst. de exhered. lib. — 4. *Immo vide* L. 1, in fin. D. si tab. testam. nullæ extab. ; d. § 1, Inst. de exhered. lib.
TIT. XIII. — 1 Lib. 6, D de bonor. possess. ; L. 25, D. de bon. libert.— 2. L. 29, D. d. t.; L. 3, § 1, D. de suis et legit. hered. — 3 d. L. 6. — 4. L. 2, supr. de bon. possess. s. c. tab. — 5. L. 37, D. de bon. libert. — 6. L. 20, D. de jure patronat.

TIT. XIV.

UNDE LIBERI[1].

1. Impp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. Sarpedoni.

Si avus tuus relictis tribus emancipatis[2] filiis decesserit, hique bonorum possessionem *unde liberi* acceperint : pro rata portione heredes eos extitisse palam est.— Dat. 4 non.* MAXIMO 2 et AQUILINO CONSS. 286.

2. *Iidem*, AA. et CC. Zosimo.

Ex testamento[3], vel ab intestato existente filio, vel nepote suo[4] herede, nemo potest ab intestato heres existere. — Dat. 3 id. Mart. ipsis AA. et CONSS.

3. Imp. CONSTANTIN. A. ad Leontium comitem R. P. Orientis.

Qui se[5] patris post avum intestatum defuncti negat heredem : mortui avi paterni suscipere facultates non potest : maxime emancipatus, nisi per bonorum possessionem ad hujusmodi beneficium pervenerit. — Dat. 8 id. april. LIMENIO et CATULINO CONSS. 349.

TIT. XV.

UNDE LEGITIMI[1], ET UNDE COGNATI[2].

1. Imp. ALEXAND. A. Ulpio.

Consobrinorum[3] tuorum intestatorum bona, si ad prioris necessitudinis neminem jure pertinuerint : tu, qui eorum possessionem agnovisti, persequi non prohiberis. — Dat. 3 id. August. JULIANO 2 et CRISPINO CONSS. 225.

2. Impp. DIOCLET. et MAXIMIAN. AA. Zenoni.

Cum propiorem[4] sobrinum (id est, natum [a] consobrina) rebus humanis intestatum defunctum proponas : intelligis sine auxilio bonorum[5] possessionis ejus te successionem vindicare non posse. — Dat. 7 kalend. Jun. *Laodiceæ*, AA. CONSS.

3. *Iidem*, AA. et CC. Felici.

Nepotibus[6] avi materni pro virili[7] portione etiam jure honorario successio defertur. — Dat. idib. octobr. *Sirmii*, CC. CONSS.

4. *Iidem*, AA. Syristæ.

Non[8] hoc, an tenuerit quis res hereditarias, necne, [sine voluntate adquirendæ sibi hereditatis,] quærendum est : sed an admiserit[9] hereditatem, vel bonorum possessionem. — Dat. 2 kal. Januar. *Sirmii*, CC. CONSS.

5. *Iidem*, AA. Platoni.

Certum quidem est, cognationis[10] jure citra admissionem bonorum possessionis neminem posse succedere : defuncti vero cognati succedere nolentes, bonorum possessionem petere non urgentur[11]. — Dat. 12 kal. Mart. *Sirmii*, CC. CONSS.

TIT. XVI.

DE SUCCESSORIO EDICTO[1].

1. Imp. ALEXAND. A. Juliano.

Si mater[2] tua propter furorem suum patrui sui bonorum possessionem non accepit : tu filius ejus ad eorumdem bonorum patrui magni[3] possessionem ex edicto, quo prioribus non petentibus, sequentibus permittitur, admissus es.— P. P. 5 id. decemb. MAXIMO 2 et ÆLIANO CONSS. 224.

TIT. XIV. — 1. Lib. 38, D. 6. — 2. L. 15, § 1, infr. de legit. hered. ; L. 6, § 1, D de bonor. poss. ; L. 1, in fin. D. quis ordo in bon. poss. — 3. L. 39, D. de adquir. vel omitt. hered. — 4. L. 5, in fin. D. unde l. git. — 5. *Confer* L. ult. supr. si minor. ab hered.
TIT. XV. — 1. Lib. 38, D. 7. — 2. Lib. 38, D. 8. — 3 L. 6, infr. commun. de success. — 4. L. 10, § 16, vers. personæ, D. de gradib. et affin.— 5. L. 5, infr. h t. — 6. L. 15, § 16, Inst. de hered. quæ ab intest. ; N. 118, c. 1, in fin. ; N. 18, c. 4. — 7. L. 11, supr. famil. ercisc. — 8. L. 1, infr. de jure delib. ; L. 1, infr. de repud. vel abstin. hered. ; L. 20, pr. D. de adquir. vel omitt. hered. — 9. L. 5, infr. h. t. — 10. L. 2, supr. eod. — 11. L. 3, § 3, D. de bonor. possess.
TIT. XVI. — 1. Lib. 38, D. 9. — 2. L. 2, in fin. D. ad SC. Tertull. — 3. L. 10, § 15, vers. patruus, D. de gradib.

2. Impp. DIOCLET. et MAXIMIAN. AA. Firmo.

Si aviæ eorum frater, de quorum successione agitur, velut ex testamento adiit hereditatem, quos intestatos decessisse, ac falsum testamentum prolatum contendis, et ab intestato non petita bonorum possessione, vita functus est : ac tuo, licet quinto gradu constitutus, ex successorio capite petisti bonorum possessionem, vel necdum exclusus petas : eorum successionem potes vindicare. Nam si is quem quarto gradu constitutum [esse] non ambigitur, ex edicto petiit[4]; nec hoc te latuit : frustra nobis supplicasti. — Dat. 6 id. april. *Sirmii*, CC. CONSS.

TIT. XVII.

DE CARBONIANO[1] EDICTO.

1. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Floræ.

Si tibi ac filio tuo ab his contra quos supplicas, status movetur quæstio : perspicis præmature rerum quas velut de patris successione filius tuus vindicat, restitutionem postulari : cum si in pupillari permaneat ætate, secundum formam edicti Carboniani data bonorum possessione, satisdatione impleta, tunc demum in possessionem eum constitui conveniat : vel hac non oblata[2], portionem ab omnibus, quam vindicat, possideri : servitutis[3] vero quæstionem in tempus pubertatis differri[4]. — Dat. 12 kal. novemb. *Sirmii*, CC. CONSS.

2. Imppp. THEOD., ARCAD. et HONOR. AAA. ad Rufinum P. P.

Carbonianum edictum sub[5] personis legitimis [ex] indubitato matrimonio custodito[6] partu, et probata legitima successione, defertur : scilicet ut in possessione novus heres constitutus, usque ad pubertatis[7] annos, sine inquietudine rebus utatur interdum alienis[8].— Dat. 3 kalend. octob. THEOD. A. 3 et HABUNDANTIO CONSS. 393.

TIT. XVIII.

UNDE VIR ET UXOR[1].

1. Impp. THEOD. et VALENT. AA. Hierio P. P.

Maritus[2] et uxor ab intestato[3] invicem sibi in solidum pro antiquo jure succedant[4], quoties deficit[5] omnis parentum, liberorumve, seu propinquorum legitima vel naturalis successio, fisco excluso. — Dat. 12 kal. Mart. HIERIO et ARDABURIO CONSS. 427.

In AUTHENT. de exhibend. et introduc. reis, § Quoniam vero in fin., col. 5, tit. 8, al. 6, et col. 8, tit. 18, al. 13, ut li. matri et aviæ, § Quia vero 2, Novell. 117, cap. 5.

Præterea si matrimonium sit absque dote[6], conjunx autem præmoriens locuples sit : superstes vero laboret inopia : succedat una cum liberis communibus alteriusve matrimonii in quartam, si tres sint, vel pauciores. Quod si plures sint, in virilem portionem : ut tamen ejusdem matrimonii liberis proprietatem servet, si extiterint : his vero non extantibus, vel si nullos habuerit, potietur etiam dominio, et imputabitur legatum in talem portionem.

TIT. XIX.

DE REPUDIANDA BONORUM POSSESSIONE.

1. Impp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Theodosiano.

Emancipatus, repudiata bonorum possessione, absentiæ[1] patroni causæ velamento rursus ad eandem redire quæstionem frustra conatur. *Sine die et consule.*

2. *Iidem*, AA. et CC. Theodoro.

Filio delatam bonorum possessionem, patri ad fraudem[2] filii repudiare non licet. — Dat. 6 kal. decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

4. *Vide enim* L. 19, § nec enim, D. de inoff. testam
TIT. XVII. — 1. Lib. 37, D. 10. — 2. L 1, § 1, D. h. t. — 3. d. L. 1, § 5. — 4. *Vide tamen* L. 3, § 5, D. eod. ; *juncta* L. 1, supr. de ordin. judic. — 5. L. 1, § 10, D. de inspiciendo ventre. — 6. L. 2, D. d. t. — 7. L. 1, pr. D. h. t. — 8. L. 5, § 3, D. eod.
TIT. XVIII. — 1 Lib. 38, D 11.—2. L. 9, in fin. D. de legat. 3; *excip.* L. 1, infr. si liberal. imperial. socius. — 3. *Adde* L. 2, infr. de infirm. pœnis cælib. — 4. *Confer* Auth. præterea, infr. h. t. : L. 3, pr. infr. de bonis matern. — 5. *Fac.* L. 3, pr. infr. quor. bonor. — 6. *Adde* N. 53, c. 6.
TIT. XIX.— 1. L. 4, supr. de postul.; *vide tamen* L. 7, D. de jure fisci ; L. 15, § ult.; L. 23, in fin. D ex quib. caus major. — 2. L. ult. pr. vers. sancimus, infr. de bon. quæ liber.

TIT. XX.

DE COLLATIONIBUS[1].

1. Imp. ALEXAND. A. Deuteriæ.

Emancipatos liberos testamento[2] heredes scriptos, et ex eo successionem obtinentes, a patre donata fratribus conferre non oportere, si pater, ut hoc fiat, supremis judiciis non cavit[3], manifesti juris est. — P. P. 3 id. Jul. JULIANO 2 et CRISPINO CONSS. 225.

In AUTHENT. de trien. et semiss. et § Illud quoque bene, col. 3, tit. 5, Novell. 18, cap. 6.

Ex testamento, et ab intestato cessat dotis, et aliorum datorum collatio, ita demum si parens hoc designavit expressim : aliis, quæ de collatione dicta sunt, suum robur obtinentibus.

2. *Idem*, A. Primo.

Si pater intestatus decesserit relictis duobus filiis, et filia cujus nomine dotem promiserat[4] : portiones hereditatis æquæ sunt, et dos nihilominus ita conferenda est, ut pro portionibus fratres ejus a necessitate præstandæ ejus [dotis] liberentur. — Dat. 3 id. septemb. JULIANO 2 et CRISPINO CONSS. 225.

3. *Idem*, A. Alexandro.

Pactum dotali instrumento comprehensum, *ut[5] contenta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet :* juris auctoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia ea ratione prohibetur. Dotem sane quam accepit, fratribus qui in potestate manserunt, conferre debet. — Dat. 14 kal. Jul. AGRICOLA et CLEMENTINO CONSS. 231.

4. Imp. GORDIANUS A. Marino.

Filiæ dotem[6] in medium ita demum conferre coguntur, si vel ab intestato[7] succedant, vel contra tabulas[8] petant : nec dubium est profectitiam seu adventitiam[9] dotem a patre datam vel constitutam, fratribus qui in potestate[10] fuerunt conferendam esse. His etenim qui in familia defuncti[11] non sunt, profectitiam tantummodo dotem post varias prudentium opiniones conferri placuit. — P. P. 4 id. Mart. GORDIANO A. et AVIOLA CONSS. 240.

5. *Idem*, A. Alexandro.

Dotis quidem petitio perseverante[12] matrimonio tibi non competebat : quamvis enim ea intestato[13] patre defuncto, fratri conferre debueras ; non[14] tamen eo nomine adversus maritum tibi actio potuit esse : cum eo[15] minus [in] partem tibi delatæ successionis patris auferre potueris. — Dat. non. septemb. GORDIANO A. et AVIOLA CONSS. 240.

In AUTHENT. de æqualitate dotis, § Illud quoque, col. 7, tit. 9, al. 8, Novell. 97, cap. 6.

Quod locum habet sive pars viri sit idonea, sive mulieri possit imputari, quare marito ad inopiam vergente ex lege Justiniani etiam constante matrimonio non exegerit dotem. Quod ei licet, cum et sui juris sit, et legitimæ ætatis, et cum mater obtulerit dotem, et pater ei consentiat agenti. His cessantibus, solam actionem (licet inanem) conferens, partem ex hereditate feret : hoc, cum dos parva sit. Sed dotem magnam quæ conferri speratur, invito etiam patre filiæ exigere potest. Hæc observantur, ubicunque collationis ratio emergit, etiamsi avita sit successio.

6. *Idem*, A. Claudio.

Ea demum ab emancipatis fratribus his, qui remanserunt in potestate[16], conferri consueverunt, quæ in bonis eorum fuerunt[17] eo tempore[18] quo pater fati munus implevit : exceptis [his] videlicet, quæ ab ipsis aliis debentur[19]. — Dat. 7 kal. Maji, PEREGRINO et ÆMILIANO CONSS. 245.

7. Imp. PHILIPPUS A. Tyranniæ.

Filiam testamento[20] patris institutam heredem fratribus iisdemque coheredibus, dotem conferre non oportere, nisi pater hoc ipsum specialiter designaverit, explorati juris est. — P. P. 6 kal. Maji, PRÆSENTE et ALBINO CONSS. 247.

TIT. XX. — 1. Lib. 37, D 6, 7; N. 18, c. 6 ; N. 97, c. 6. —2. L 4, pr. ; L. 7, infr. ; L. 1, § 6, D. h. t. : L. ult. vers. quas utpote, D. commun. utriusque jud. — 3. d. L. 7, L. 8, D de dot. collat. — 4 L. 1, § 8, D. d. t. — 5. L. 35, § 1, supr. de inoffic. testam. ; L. ult. D. de suis et legit. ; arg. L. 15, L. 30, supr. de pact.—6. *Adde* N. 18, c. 6.—7. L. 1, supr. h. t.— 8. L 17, infr. eod.— 9. L. 1, § 7, D. de dotis collat. ; *abrog.* L. ult. infr. h. t. — 10. L. 9, infr. eod. — 11. L. 17, infr. eod. — 12. L. un. supr. si dos constante matrim. soluta fuerit. —13. L. 1, supr. h. t. — 14. L. 9, supr. de rei vindic. ; L. 7, supr soluto matrim. — 15 N. 97, c 6 ; L. 1, § 8, D de dotis collat. — 16. L. 4, supr. h. t. — 17. *Abrog.* L. ult. infr. eod. — 18. L. 13, L. 15, infr. ; L. 1, § 17, D. eod. ; L. ult supr. si ut omiss. hered.— 19 L. 2, § 1, D. h. t. — 20. L. 1, supr. eod. ; *abrog.* Auth. ex testamento, supr. eod. ; N. 18, c. 6.

8. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. Calippo.

Si soror tua in paternorum bonorum divisione te fefellit; nec dotem quam acceperat a patre vestro intestato diem functo, contulit[21]: præses provinciæ, examinatis partium allegationibus, *cum bonis dotem confundi* jubebit, *et quod deducta ratione plus ad eam* [esse] *animadverterit, tibi restitui* jubebit. Idem est, et si arbitro dato divisio celebrata est. — S. 6 id. Jul. ipsis AA. Conss.

9. *Iidem*, AA. et CC. Onesimo.

Si emancipati utrique a patre fuistis[22], collatio cessat. Sin autem frater tuus in potestate[23] [patris] mortis tempore fuerat, nec ullum testamentum[24] relictum est, vel novissimum judicium communis patris, teque emancipatum probatum fuerit: ab intestato [te] ad successionem paternam venientem, ad collationem forma edicti perpetui certo jure provocat. — S. 6 kal. Maji, *Heracliæ*, CC. Conss.

10. *Iidem*, AA. et CC. Hirenæ.

A patre verbis precariis in codicillis relictum[25], extero jure capiens filia, ad collationem dotis urgeri non potest. — S. 6 kal. decemb. *Sirmii*, CC. Conss.

11. *Iidem*, AA. et CC. Artemiæ.

Posthumo[26] [præterito] patris testamentum rumpenti, atque intestato succedenti, emancipatum petita bonorum possessione conferre debere bona sua, perpetuo edicto cavetur: cum his[27] etiam qui sui futuri essent, si vivo patre nati fuissent, conferre debere manifeste significatur: et emancipatis, si legi datæ collationis non pareant, denegandas[28] actiones, non est ambigui juris. — 5 kal. Januar. ipsis AA. et CC. Conss.

12. *Iidem*, AA. et CC. Philanteæ.

Filiæ, licet maneat in sacris, si dotem[29] non conferat, quam mortis tempore communis patris habuit, fratribus in eadem familia constitutis, actiones hereditarias[30] denegari non ambigitur. Unde consulte ac pro juris ratione collationem fratribus tuis quos in patris communis mortis tempore fuisse potestate[31] proponis, offeres. Cum autem fratres tui durantes in familia patris, peculium[32] (si hoc neque castrense[33], neque relictum[34] eis doceatur) præcipuum habere non possint, sed in divisionem paternæ veniat hereditatis, nec quicquam mutet, penes quem res ex hoc proficiscentes, et in eadem causa durantes, constitutæ reperiantur, absoluti manifestique juris est. — Dat. 11 kal. *Sirmii*, CC. Conss.

13. *Iidem*, AA. et CC. Antistiæ.

Si donatione tibi post[35] mortem patris fundum quæsisti, soror [tua] portionem ejus vindicare non potest. Nam si is filiæfamilias constitutæ tibi a patre donatus est: cum sorore patri communi succedens, eum præcipuum[36] habere contra jura postulas. — Dat. 6 id. februar. *Sirmii*, iisdemque CC. Conss.

14. *Iidem*, AA. et CC. Stratonicæ.

Si maritus quondam [tuus] ab intestato[37] patri suo heres extitit, et ei posthumus[38] a te editus successit, actiones hereditarias amitæ[39] filii vestri, quas habuit patris sui mortis tempore, dotem non conferenti, denegare[40] præses non dubitabit. — P. P. 7 kal. Mart. *Trimontii*, Tusco et Anulino Conss. 295.

15. *Iidem*, AA. et CC. Philippo.

Nec emancipati post[41] mortem communis patris quæsita conferre coguntur: sed hæc retinentes, ejus bona pro hereditaria dividunt portione. — Dat. id. decemb. ipsis CC. Conss. 297.

16. *Iidem*, AA. et CC. Socrati.

Filiam cum fratribus suis coheredibus intestato[42] patri succedentem, ultra relictum[43] codicillis non conferentem dotem, judicio familiæ erciscundæ nihil posse consequi, summa cum ratione placuit. — Dat. 5 kal. Januar. ipsis CC. Conss. 297.

17. Imp. Leo A. Erythrio P. P.

Ut liberis, tam masculini quam fœmini sexus, sive sui juris, sive in potestate constitutis, quocunque jure intestatæ successionis, id est, aut[44] testamento penitus non condito, aut si factum fuerit contra tabulas bonorum possessione petita, vel inofficiosi querela[45] mota rescisso[46], æqua[47] lance parique modo prospici possit, hoc etiam æquitatis studio præsenti legi credidimus inserendum, ut in dividendis rebus ab intestato[48] defunctorum parentum, tam dos[49], quam ante nuptias donatio[50] conferatur, quam pater, vel mater, avus, vel avia, proavus, vel proavia, paternus, vel maternus dederit, vel promiserit pro filio, vel filia, nepote, vel nepte, pronepote, vel pronepte, nulla discretione intercedente, utrum in ipsas sponsas pro liberis suis memorati parentes donationem contulerint, an in ipsos sponsos earum, ut per eos eadem in sponsas donatio celebretur: ut in dividendis rebus ab intestato [defuncti] parentis, cujus de hereditate agitur, eadem dos, vel ante nuptias donatio ex substantia ejus profecta conferatur: emancipatis videlicet liberis utriusque sexus, pro tenore præcedentium legum [ea] quæ in ipsa emancipatione [a parentibus suis] (ut adsolet[51] fieri) consequuntur, vel post emancipationem[52] ab eisdem parentibus acquisierint, collaturis. — Dat. 5 kal. Mart. Busæo et Joanne Conss. 467.

18. Imp. Anastasius A. Constantino P. P.

Liberos[53], qui per nostræ[54] legis auctoritatem per oblationem[55] precum et imperiale rescriptum, sui juris effecti fuerint, ad similitudinem cæterorum qui emancipati ex antiquo jure[56] sunt, collationes facere jubemus compelli secundum ea, quæ super cæteris emancipatis statuta sunt — Dat. 12 kal. August. *Constantinop.* Probo et Avieno juniore Conss. 503.

19. Imp. Justinianus A. Mennæ P. P.

Illam merito dubitationem amputare duximus, quæ super collatione dotis, vel ante nuptias donationis[57], inter certas personas satis jam ventilata est. Nam si intestatus quis defunctus esset, filio, vel filiis, [aut] filia, vel filiabus relictis, et ex mortua filia [vel filio] cujuscunque sexus, aut numeri nepotibus: vel si qua intestata defuncta esset, filio quidem, vel filiis, filia, vel filiabus similiter relictis, ex mortuo vero filio, vel filia itidem nepotibus cujuscunque sexus aut numeri: de modo quidem successionis minime dubitabatur, sed palam erat quod hujusmodi nepotes duas[58] partes paternæ, vel maternæ portionis tantum haberent, tertiam partem patruis suis, vel avunculis, vel amitis, vel materteris, pro jam posita constitutione concedentes: de collatione vero dotis, vel ante nuptias donationis quam defuncta persona pro filio, vel filia superstitibus, et pro mortuo vel mortua filio vel filia dedisset, multa dubitatio orta est: superstitibus quidem filiis defunctæ personæ non debere se dotem, vel ante nuptias donationem pro se datam a suo patre, vel matre, conferre filiis mortui fratris [sui,] vel mortuæ sororis suæ contendentibus, eo quod nulla constitutio super hujusmodi collatione posita esset: nepotibus vero mortuæ personæ non tantum huic resistentibus, sed etiam adserentibus, quod onus collationis constitutione Arcadii et Honorii divæ memoriæ sibi impositum, in personis tantummodo suorum avunculorum, non etiam patruorum, vel amitarum[59], vel materterarum locum habere posset. Talem igitur subtilem dubitationem amputantes, præcipimus tam filios, vel filias defunctæ personæ dotem, vel ante nuptias donationem a parentibus suis sibi datam conferre nepotibus, vel neptibus mortuæ personæ: quam eosdem nepotes, vel neptes patruis suis, aut avunculis, amitis etiam et materteris dotem, vel ante[60] nuptias donationem patris sui, vel matris, quam pro eo, vel ea mortua persona dedit, similiter conferre: ut commixtis hujusmodi collationibus cum bonis mortuæ personæ, duas[61] quidem [partes] nepotes, vel neptes habeant illius portionis quæ patri, vel matri eorum, si superesset, deferebatur: tertiam vero ejusdem portionis partem una cum [sibi] competentibus portionibus filii, vel filiæ defunctæ personæ, cujus de hereditate agitur, capiant. — Dat. kal. Jun. *Constantinop.* D. N. Justinian. A. P. P. 2 Cons. 528.

In Authent. de trien. et se, § Neque illo, col. 3, tit. 5, Novell. 18, cap. 4.

Quæ tertiæ portionis diminutio correctionem novo jure capit, ad æqualitatis justitiam redacta in omnibus talibus personis.

20. *Idem*, A. Mennæ P. P.

Illud sine ratione a quibusdam in dubietatem deductum, plana sanctione revelamus: ut omnia quæ in quartam portionem ab intestato successionis computantur his, qui ad actionem de inofficioso testamento vocantur: etiam si intestatus is decesserit, ad cujus hereditatem veniunt, omnimodo coheredibus suis conferant. Quod tam in aliis, quam in his quæ occasione militiæ[62] uni heredum ex defuncti pecuniis acquisitæ lucratur is, qui militiam meruit, locum habebit: ut lucrum quod tempore mortis defuncti ad eum pervenire poterat, non solum testamento condito quartæ parti ab intestato successionis computetur, sed etiam ab intestato conferatur. Hæc autem regula, ut omnia quæ portioni quartæ computantur, etiam ab intestato conferantur: minime e contrario tenebit, ut possit quis dicere etiam illa quæ conferuntur omnimodo in quartam partem his computari qui ad inofficiosi querelam vocantur. Ea enim tantummodo ex his quæ conferuntur, memoratæ portioni computabuntur, pro quibus specialiter, legibus, ut hoc fieret, expressum est. — § 1. Ad hæc cum ante nuptias donatio[63], vel dos a patre data, vel matre, vel aliis parentibus pro filio, vel filia, nepote, vel nepte, cæterisque descendentibus[64] conferatur: si unus, vel una liberorum ante nuptias tantummodo donationem, vel dotem, non etiam simplicem donationem accepit, vel acceperit, alter vero, vel altera neque dotem, neque donationem ante nuptias a parente suo suscepit, vel susceperit, sed simplicem tantummodo donationem: ne ex eo injustum aliquid oriatur, [si] ea quidem persona quæ ante nuptias donationem, vel dotem suscepit, conferre eam cogenda [sit:] illa vero quæ simplicem tantummodo donationem meruit, ad collationem ejus minime coarctanda est: si quid hujusmodi acciderit, jubemus ad similitudinem ejus, qui ante nuptias donationem, vel dotem conferre cogitur, etiam illam personam quæ nulla dote, vel ante nuptias donatione data, solam simplicem donationem a parentibus suis accepit, conferre eam: nec recusare collationem [ex] eo quod simplex donatio non aliter confertur, nisi hujusmodi legem donator tempore donationis suæ indulgentiæ imposuerit. — Dat. 8 id. August. *Constantinop.* Decio V. C. Cons. 529.

21. *Idem*, A. Joanni P. P.

Ut nemini de cætero super collatione dubietas oriatur: necessarium duximus constitutioni[65], quam jam favore liberorum fecimus, hoc addere: ut res quas parentibus acquirendas esse prohibuimus[66], nec collationi post obitum eorum inter liberos subjaceant. Ut enim castrense[67] peculium in commune conferre in hereditate dividenda, et ex prisci juris auctoritate minime cogebantur: ita et alias res quæ[68] minime parentibus acquiruntur, proprias [liberis] manere censemus. — Dat. 15 kal. novemb. Lampadio et Oreste VV. CC. Conss. anno 2, 530.

21. L. 36, D. famil. ercisc. — 22. L. 4, supr.; L. 9, D. h. t.; L. 1, D. de conjungend. cum emancip. — 23. L. 6, supr. h. t. — 24. L. 1, L. 7, supr. eod — 25. L. 16, infr. eod.; L. 4, D. de dotis collat. — 26 L. ult. D. h. t. — 27. *Fac.* L. 7, D. de statu homin. — 28. L. 12, infr.; L. 1. § 15, D. h. t. — 29. *Adde* L. 3, in fin. supr. eod. — 30. L. 11, in fin. supr. eod. — 31. *Fac.* L. 9, pr. supr. eod. — 32. L. 13, supr. famil. ercisc. — 33. L. 1, § 15, D.: L. 21, in fin. infr. h. t.; L. 3, infr. de castrensi pecul. — 34. L. 65, § 1, D. de rei vindic.; L. 38, vers. adeo ut si prælegatum, D. de condict. indeb. — 35 L. 15, infr. h. t.; *fac.* L. 6, supr. eod. — 36. *Immo vide* L. 18, supr. famil. ercisc. — 37. L. 17, infr h. t. — 38. *Adde* L. 11, supr.: L. 2, pr.: L. ult. D. eod. — 39. L. 19, infr. eod. — 40. L. 11, in fin. supr. eod. — 41. L. 13, supr. eod.; *fac.* L. 6, supr. eod.; *vide tamen* L. 1, § 18, D. eod. — 42. *Vide enim* L. 1, supr. eod. — 43. L. 10, supr. eod. — 44. L. 4, supr. eod. — 45. *Abrog.* L. 6, L. 7, D. de dotis collat. — 46. *Immo vide* N. 115, c. 5, pr. — 47. L. 6, § 2, in fin. infr. de bonis quæ lib. — 48. L. 7, supr. h. t. — 49. Tit. D. de dotis collat. — 50. L. 29, supr. de inoff. testam. — 51. L. ult. infr. de emancip. liber.; L. 8, infr. de bonis proscript.; L. 37, in fin. D. de negot. gest. — 52. L. 20, infr. h. t — 53. L. 11, infr. de legit. hered. — 54. L. pen. infr de emancip. liber. — 55. d. L. pen. — 56. L. ult. infr. d. t. — 57. L. 29, supr. de inoff. testam. — 58. L. 9, D. de suis et legit. hered.; § 15, Inst. de hered quæ ab intest.; N. 18, c. 4. — 59. L. 14, supr. h t. — 60. L. 17, supr.; L. 20, infr. eod.; L. 29, supr. de inoff. testam. — 61 *Abrog.* Auth. quæ tertiæ, infr h. t.

TIT. XXI.

DE TESTAMENTO MILITIS[1].

1. Imp. Antoninus A. Floro militi.

Frater tuus miles si te specialiter in bonis, quæ in paganico habebat, heredem fecit: bona, quæ in castris reliquit, petere non[2] potes, etiamsi is qui eorum heres institutus est, adire ea noluerit[3], sed ab intestato succedentes veniunt: modo si in ejus locum substitutus non es, et liquido probetur fratrem tuum castrensia bona ad te pertinere noluisse. Nam voluntas militis [in expeditione occupati] pro jure[4] servatur. — Accepta 5 id. septemb. Duobus et Aspris Conss. 213.

2. *Idem*, A. Septimo militi.

Miles si castrensium[5] tantummodo bonorum commilitonem suum instituit heredem: cætera bona ejus, ut intestati defuncti, mater ejus jure possidebit. Quod si extraneum scripsit heredem isque adiit hereditatem: bona ejus in te transferri non jure desideras. — P. P. 2 kalend. Mart. Antonino A. 4 et Balbino Conss. 214.

3. *Idem*, A. Vindiciano.

Quamquam militum testamenta juris vinculis non subjiciantur, cum propter simplicitatem[6] militarem, quomodo velint[7], et quomodo possint, ea facere his concedatur: tamen in Valeriani quondam centurionis testamento instituto etiam jure communi accepit auctoritatem. Nam[8] cum paterfamilias filiam ex duabus unciis, uxorem ex uncia heredes scripserit, nec de residuis portionibus quicquam significaverit: in tres partes divisisse eum apparet hereditatem, ut duas habeat, quæ sextantem accepit, tertiam, quæ ex uncia heres est instituta. — P. P. kalend. novemb. Antonino A. 4 et Balbino Conss. 214.

4. Imp. Alexander A. Junio.

Si Rufinus, vir clarissimus tribunus, laticlavius[9] major annis [lege] definitis faciens testamentum, te manumisit: justam tibi libertatem competisse, scire debes. Quod si minor[10] annis ex lege constitutus fuerit, cum faceret testamentum: lege impediente nullam libertatem adeptus es, quæ in hac parte nec militibus[11] remissa est. Quod si idem testator causam manumittendi te habuit, quæ probabilis vivo manumittente consilio futura esset: quia per fideicommissum data libertas a quolibet minore annis ei, cujus causa probari potuit, præstari debet: ex testamento militis hujusmodi servis justam libertatem competere consequens est. — Dat. 16 kal. decemb. Alexandro A. Cons. 224.

5. *Idem*, A. Sozomeno.

Ex testamento militis, sive adhuc in militia, sive intra annum[12] missus honeste decessit, hereditas et legata omnibus quibus relicta sunt, debentur: quia inter cætera quæ militibus concessa sunt, liberum arbitrium[13], quibus velint, relinquendi supremis [judiciis suis] concessum est: nisi lex[14] specialiter eos prohibuerit. — Dat. 17 kalend. februar. Juliano 2 et Crispino CC. Conss. 225.

6. *Idem*, A. Valentino.

In testamento quidem ejus qui non miles fuit, si duobus heredibus institutis, altero cui potuit usque ad tempus pubertatis parens facere testamentum, altero cui posteaquam heres extitit, substituere non potuit, invicem substitutio eisdem verbis facta est, in eum solum casum eam locum habere sententiis prudentium virorum, et constitutionibus divorum parentum[15] meorum placet, quo utrique pari ratione potuit substitui. Sed cum ex testamento militis controversiam esse proponas, defuncta parvula ejus filia, posteaquam heres extitit patri, cum qua simul æquis partibus heres institutus eras, substitutione invicem facta: et mater quidem intestatæ filiæ sibi successionem defendat, tu autem ex substitutione ad te pertinere contendas[16], juris quidem ratio manifesta est, licere militibus[17] proprio privilegio etiam heredibus extraneis, posteaquam heredes extiterint, mortuis substituere: sed tibi probandum est, an ita frater tuus senserit. — P. P. 2 kal. Maji, Fusco 2 et Dextro Conss. 226

7. *Idem*, A. Fortunato.

Ex his verbis, *Fortunato liberto meo do, lego*, vindicare tibi libertatem non potes, si pagani[18] testamentum proponatur. At enim cum testatorem militem[19] fuisse proponas: si non errore ductus libertum [te] crediderit, sed dandæ libertatis animum habuerit: libertatem equidem directam competere tibi, sed et legati vindicationem habere te prærogativa militaris privilegii præstat. — Dat. 12 kal. Januar. Alexandro A. 2 et Marcello Conss. 227.

8. Imp. Gordianus A. Æterno militi.

Certi juris est, militem[20] ad tempus etiam heredem instituere posse. — P. P. 3 kal. octob. Pio et Pontiano Conss. 239.

9. *Idem*, A. Valeriano.

Sicut certi juris est militem qui scit[21] se filium habere, aliosque scripsit heredes, tacite eum exheredare intelligi[22]: ita si ignorans se filium habere, alios scribat heredes, non obesse filio ademptam hereditatem, sed minime valente testamento, si sit in potestate, eum ad successionem venire in dubiis non habetur. — P. P. 5 non. octob. Pio et Pontiano Conss. 239.

10. Impp. Philippus A. et Philippus C. Justino militi.

Si cum vel in utero haberetur filia inscio[23] patre milite, ab eo præterita sit: vel cum in rebus humanis eam non esse falso rumore perlato pater putavit, nullam ejus [in] testamento fecit mentionem, silentium hujusmodi, exheredationis notam[24] nequaquam infligit. Is autem miles qui testamento *filiam suam* appellavit, eique legatum dedit: non instituendo eam heredem, exheredavit. — P. P. 12 kal. Jun. Præsente et Albino Conss. 247.

62. L. 30, § 2, supr. de inoff. testam.; *immo vide* L. 1, § 16, D. h. t. — 63. L. 17, supr. eod. — 64. L. 19, supr. eod. — 65 L. 6, infr. de bonis quæ lib. — 66. d. L. 6, L. 7, L. 8, infr. d. t. — 67. L. 12, supr.; L. 1, § 15, D. h. t.; L. 3, infr. de castrensi pecul. — 68. *Immo vide* L. 1, § 18, D.: L. 4, supr. h. t; *juncta* L. 6, infr. de bonis quæ lib.; § 1, Inst. per quas personas cuique.

Tit. XXI. — 1. Lib. 29, D. 2; Lib. 2, Inst. 11. — 2. *Fac.* L. 17, § 1, D. h. t. — 3 L. 6, in fin. D. eod. — 4. L. 5, L. 14, L. 15, infr.; L. 1, D. eod. — 5. L. 1, supr.; L. 6, L. 11, in fin. D. eod. — 6 L. 1, supr. de juris et facti ignor. — 7. L. 15, infr. pr. Inst h. t. — 8. § 5, Inst; L. 13, § 2; L. 47, § 1, D de hered. instituend — 9. L. 42. D. de donat inter vir. et uxor. — 10 § 4, Inst. quib ex caus. manumitt.; L. 5, infr. de fideicommiss. libert. — 11. L. 29, § 1, D h. t.; L. 3, D. de manum. testam. — 12. § 3, Inst.; L. 21, L. 26, L. 38, D. h. t.; L. 17, L. 40, L. 92, D. ad leg. Falcid. — 13 L. 1. supr. h. t. — 14. L. 4, supr. eod.; L. ult. supr. de hæret.; L. 41, § 1, D. h. t. — 15. L. 4, § 2, D. de vulg. et pupill. substit. — 16. L. 2, infr. de impub. et aliis substit.; L 39, L. 45, D. de vulgar. et pupill. substit. — 17. L. 8, infr. de impub. et aliis substit. — 18. L. 2, in fin. infr. de necessar. serv. hered: L. 65, D. de hered. instit. — 19. L. 40, § 1. D. h. t.; N. 78, c. 4, vers. si enim. — 20. L. 15, § 4; L. 19, in fin.; L. 41, pr D. h. t.; *collata* L. 34, D. de hered. instit. — 21. L. 10, infr.; L. 36, § 2 D. h. t.; *adde* L. 16, § 3, D. de testam. tut. — 22. § 6, Inst. de exhered. liberor.; L. 12, pr; L. 47, in fin. D. de bon. libert — 23. L. 9, supr. h. t.; *adde* § pen. Inst. de exhered. liberor. — 24. L. 13, supr. ex quib. caus. infam.

11. *Iidem,* A. et C. Æmiliano milit.

Captatorias[25] institutiones etiam in militis testamento nullius esse momenti, manifestum est. — P. P. 7 kalend. Jul. Præsente et Albino Conss. 247.

12. *Iidem,* A. et C. Domitiæ.

In testamento militis legem Falcidiam[26], et in legatis, et fideicommissis[27] cessare, explorati juris est. Sane si quid ultra[28] vires patrimonii postulatur: competenti defensione tueri te potes. — P. P. 6 non. Jul. Præsente et Albino Conss. 247.

13. Impp. Valerianus et Gallienus AA. Claudiæ.

Et militibus nostris, centurionibus quoque ob flagitium militare[29] damnatis, non aliarum quam castrensium rerum testamentum facere permittitur[30], et intestatis jure proprio succeditur a fisco. — Prop. non. August. Valeriano et Gallieno AA. 3 et 2 Conss. 256.

14. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. heredibus Maximi.

Si a fratre suo militante mater vestra scripta heres successionem [ejus sibi] quæsivit: quamvis testamenti scriptura non continet juris[31] observationem, hanc [tamen] hereditatem fratrem testatoris, vel ejus filios ab intestato evincere non potuisse, jure constitit. — P. P. 5 non. Maji, ipsis AA. Conss.

15. Imp. Constantinus A. ad populum.

Milites in expeditione[32] degentes, si uxores, aut filios, aut amicos, aut commilitones suos, postremo cujuslibet[33] generis homines amplecti voluerint supremæ voluntatis affectu: quomodo possint[34], ac velint, testentur: nec uxorum, aut filiorum eorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas dignitasve quæratur. Proinde sicut juris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo, ipso tempore quo in prælio vitæ[35] sortem derelinquunt, hujusmodi voluntatem stabilem esse oportet. — Dat. 3 id. August. *Nicomediæ,* Optato et Paulino Conss. 334.

16. Imp. Anastasius A. Hierio P. P.

Scriniarios vel apparitores, qui virorum magnificorum magistrorum militum jussionibus vel actibus obtemperant: etsi nomina eorum matriculis militaribus referri videantur, nullatenus[36] [tamen] in ultimis a se conficiendis voluntatibus juris militaris habere facultatem decernimus. — Dat. id. februar. *Constantinop.* Paulo V. C. Cons. 496.

17. Imp. Justinianus A. Mennæ P. P.

Ne quidam putarent in omni tempore licere militibus testamenta, quoquo modo voluerint, componere: sancimus his solis, qui in expeditionibus[37] occupati sunt, memoratum indulgeri circa ultimas voluntates conficiendas beneficium. — Datum 4 id. april. Decio V. C. Cons. 529.

18. *Idem,* A. Joanni P. P.

Licet antiquis legibus permittebatur pupillis, si tribunatum[38] numerorum merebantur, ultimum elogium conficere posse: attamen indignum nostris temporibus [esse] videtur, eum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter privilegia militum, sapientium hominum jura pertractare, et in [tam] tenera ætate ex tali licentia parentibus forte suis, vel aliis propinquis nocere, propriam substantiam extraneis relinquendo. Ideoque hoc fieri nullo modo concedimus. — Dat. kal. novemb. post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. anno 2, 532.

TIT. XXII.

QUI TESTAMENTA[1] FACERE POSSINT, VEL NON.

1. Imp. Gordianus A. Petronio militi.

Quanquam omnium bonorum socer tuus, itemque frater ejus socii[2] fuerint: tamen non eo minus idem frater ejus cum fati munus impleret, testamento suo potuit sibi heredem instituere quem vellet. Item non idcirco minus is testamenti factionem habet, quod indivisam[3] successionem cum sorore sua dicatur habuisse. — P. P. 12 kal. August. Ariano et Pappo Conss. 244.

2. Impp. Dioclet. et Maximian. AA. et CC. Viatori et Pontiæ.

Si is, qui te cum uxore tua heredem scripsit, quando testamentum ordinavit, sanæ mentis fuit, nec postea alicujus[4] sceleris conscientia obstrictus, sed aut impatiens[5] doloris, aut aliqua furoris rabie constrictus, se præcipitem dedit, ejusque innocentia liquidis probationibus commendari potest a te, adscitæ mortis obtentu postremum ejus judicium convelli non debet. Quod si futuræ pœnæ[6] metu, voluntaria morte supplicium antevertit, ratam voluntatem ejus conservari leges vetant. — P. P. kal. decembr. ipsis AA. Conss.

3. *Iidem,* AA. et CC. Licinio.

Senium[7] quidem ætatis, vel ægritudinem[8] corporis, sinceritatem mentis tenentium, testamenti factionem certum est non auferre. — § 1. Filium[9] autem qui in potestate est, testamentum facere non posse, indubitati juris est. — Dat. 4 non. april. *Sirmii,* CC. Conss.

4. *Iidem,* AA. et CC. Radoni.

Si frater patruelis tuus ante decimum[10] quartum ætatis suæ annum decessit, cum facere non potuit testamentum: nihil recte ex ejus postremo judicio postulatur. Nam si hanc ætatem egressus, licet vigoris nondum emersissent vestigia[11], suum solenniter ordinavit judicium hoc evellere frustra conaris. — S. 6 id. novembr. *Pantichi,* CC. Conss.

5. Imp. Constantius A. ad Rufinum P. P.

Eunuchis[12] liceat facere testamentum, componere postremas exempla omnium voluntates, conscribere codicillos salva testamentorum observantia[13]. — Dat. 5 kal. Mart. *Sirmii,* Constantino A. 5 et Constante C. Conss. 339.

6. *Idem,* A. ad Volusium præfectum urbi.

Si quis imperatorem[14] forte heredem instituerit, habeat mutandi[15] judicii facultatem, et quemcunque voluerit, secundum leges in testamento suo heredem scribendi. — Dat. 12 kal. Mart. *Mediolani,* Arbitrione et Lolliano Conss. 355.

7. Imppp. Valens, Valent. et Grat. AAA. Maximo.

Cum heredes instituuntur imperator seu Augusta: jus commune[16] cum cæteris habeant. Quod et in codicillis, et fideicommissariis[17] epistolis jure scriptis observandum erit. Et sicuti priscis legibus cautum est, imperatori quoque, et Augustæ testamentum facere liceat, et mutare. — Dat. 7 id. August. Gratiano A. 2 et Probo Conss. 371.

8. Imp. Justinus A. Demostheni P. P.

Hac consultissima lege sancimus, ut carentes oculis[18], seu morbo [vitiove,] seu ita nati, per nuncupationem suæ condant moderamina voluntatis: [scilicet] præsentibus septem[19] testibus, quos aliis quoque testamentis interesse juris est, tabulario etiam: ut cunctis ibidem collectis, primum ad se convocatos omnes, ut sine scriptis testentur, edoceant: deinde exprimant nomina specialiter *heredum,* et dignitates singulorum, et indicia[20], ne sola nominum commemoratio quicquam ambiguitatis[21] pariat: et ex quanta parte, vel ex quot unciis in successionem admitti debeant: et quid unumquemque legatarium seu fideicommissarium adsequi velint: omnia denique palam[22] edicant quæ ultimarum capit dispositionum series lege concessa. Quibus omnibus ex ordine peroratis, uno[23] eodemque loco, et tempore, sed et tabularii manu conscriptis sub obtentu septem (ut dictum est) testium, et eorundem testium manu subscriptis[24], dehinc consignatis[25] tam ab eisdem testibus, quam a tabulario, plenum obtinebit robur testantis arbitrium. Quæ in eundem modum erunt observanda, quamvis non heredes instituere, sed legata solum vel fideicommissa, et in summa quæ codicillis habentur congrua, duxerint ordinanda. At cum

25. L. 70, L. 71, D. de hered. instit. — 26. L. 17, in fin. D. h. t.; L. 7, infr.; L. 17, L. 92, in fin.; L. ult.; *collata* L. 40, D. ad leg. Falcid. — 27. L. 1, § 18, D. ad SC. Trebell. — 28. L. 1, § 17, D. d. t.; L. 22, § 5, infr. de jure delib. — 29. L. 1, D. de veteran. et milit. success. — 30. d. L. 1. L. 11. D. h. t.; L. 52, § 8, D. de donat. inter vir. et uxor.; L. 6, § 6, D. de injust. rupt. irrito facto test.; L. 22, § 1. D. de legat. 3. — 31. L. 1, supr. h. t. — 32. d. L. 1, in fin.; L. penult. infr. eod. — 33. L. 7, § 1, D. de legat. 3; *immo vide* L. ult. supr. de hæret. — 34. L. 3, supr.; L. ult. D. h. t.; L. 37, vers. sed non quasi, supr. de inoff. testam. — 35. N. Leon. 40, vers. nam quod statuerunt. — 36. *Vide tamen* L. 6, infr. de castrensi pecul. — 37. L. 1, L. 15, supr.; § ult. Inst. h. t.; *adde* L. ult. D. eod. — 38. L. 25, D. eod.

Tit. XXII. — 1. Lib. 28, D. 1; Lib. 2. Inst. 12. — 2. L. 4, supr. pro socio. — 3. *Adde* L. 3, supr. de commun. rer. alienat. — 4. L. 52, § 7, D. de donat. inter vir. et uxor. — 5. L. 6, § 7, vers. nam eor. D. de injust. rupt. irrito facto testam.; L. 34, pr. D. de testam. milit.; L. 5, § 4, D. de bonis eor. qui ante sentent. — 7. L. 5, pr. D. de jure immun. — 8. L. 2, D. h. t.; L. 27, supr. de transact. — 9. L. 11, infr.; L. 6, pr.; L. 16, pr. D. h. t.; *fac.* L. 3, pr. infr. de patr. potest.; *vide tamen* L. 7, in fin. D. de donat. — 10. L. 5, L. 19, D. h. t.; § 1, Inst. quib. non est permiss. fac. testam.; L. 1, § 8, D. de bon. poss. sec. tab.; L. 2, infr. quando provoc. non est nec. *adde* L. 18, supr. de testam. milit. — 11. L. ult. supr. quando tut. vel curat. esse desin. — 12. L. 6, D. de liber. et posthum.: *adde* N. Leon. 26. — 13. *Fac.* L. 35, pr. supr. de inoff. testam. — 14. L. 16, infr. de testam. — 15. Arg. L. 7, infr. h. t.; *juncta* L. 19, vers. nec sane, infr. de testam. — 16. L. 6, supr. h. t.; L. 3, infr. de testam.; L. 4, infr. ad leg. Falcid.; L. ult. D. h. t. — 17. L. 16, infr. de testam. — 18. N. Leon. 69. — 19. *Adde* L. 21, infr.; § 2, Inst. de testam.: *juncta* N. Leon. 41. — 20. *Confer* L. 17, D. de condit. et demonstr. — 21. L. 30, D. de testam. tut. — 22. L. 21, pr. D. h. t. — 23. L. 28, infr. de testam.; L. 20, D. de verb. sign. — 24. L. 22, § 4, D. h. t. — 25. d. L. 22.

humana fragilitas mortis præcipue cogitatione perturbata, minus memoria possit res plures consequi: patebit eis licentia, voluntatem suam, sive in testamenti, sive in codicilli tenore compositam, cui velint scribendam credere: ut in eodem [loco] postea convocatis testibus, et tabulario, re etiam (ut dictum est) patefacta cujus causa convocati sunt, etiam chartula promatur, quam susceptam testatori recitabit tabularius, simul et testibus: ut ubi tenor eorum cunctis innotuerit, elogium ipse suum profiteatur agnoscere, et ex animi sui quæ lecta sunt, disposuisse sententia, et in fine subscriptio sequatur testium, necnon omnium signacula tam testium (prout dictum est) quam tabularii. Sed quia tabulariorum copia non in omnibus locis datur quærentibus: jubemus, ubi tabularius reperiri non possit, octavum adhiberi testem: ut quod tabulario pro supradicto modo commisimus, id per octavum testem effectum capiat: libera potestate concedenda voluntates suas in prædictum modum ordinantibus, chartulam ita subscriptam, ita denique consignatam, ut antelatæ formæ declarant, cui velint ex testibus custodiendam [mandare.] Sic namque fieri confidimus; ut non recipiat se tantum in cæcis testandi licentia, sed ne locum quidem ullum relinquat insidiis, tot oculis spectata, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus. — Dat. kal. Jun. *Constantinop.* Justiniano et Valerio Conss. 521.

9. Imp. Justinianus A. Juliano P. P.

Furiosum[26] in suis induciis ultimum condere elogium posse, licet ab antiquis dubitabatur, tamen et retro principibus et nobis placuit. Nunc autem hoc decidendum est, quod simili modo antiquos animos movit, si cœpto testamento furor eum invasit. Sancimus itaque [tale] testamentum hominis qui in ipso actu testamenti adversa valetudine tentus est, pro nihilo esse. Si vero voluerit in dilucidis intervallis[27] aliquod condere testamentum, vel ultimam voluntatem, et hoc sana mente incœperit facere, et consummaverit, nullo tali morbo interveniente, stare testamentum sive quamcunque ultimam voluntatem censemus: si et alia omnia accesserint quæ in hujusmodi actibus legitima observatio requirit. — Dat. kal. septemb. *Constantinop.* Lampad. et Oreste VV. CC. Conss. 530.

10. *Idem,* A. Joanni P. P.

Discretis surdo[28] et muto, quia non semper hujusmodi vitia sibi concurrunt: sancimus, si quis utroque morbo simul laboret, id est, ut neque audire, neque loqui possit, et hoc ex ipsa natura habeat: neque testamentum facere, neque codicillos, neque fideicommissum[29] relinquere, neque mortis causa donationem celebrare concedatur, nec libertatem[30] sive vindicta sive alio modo imponere: eidem legi tam masculos quam fœminas obedire imperantes. Ubi autem et hujusmodi vitii non naturalis, sive masculo, sive fœminæ accidit calamitas, sed morbus postea superveniens et vocem abstulit, et aures conclusit: si ponamus hujusmodi personam literas scientem: omnia quæ priori interdiximus hæc ei suæ manu scribenti permittimus. Sin autem infortunium discretum est, quod ita raro contingit: et surdis, licet naturaliter hujusmodi sensus variatus est, tamen omnia facere et in testamentis, et in codicillis, et in mortis causa donationibus, et in libertatibus et in omnibus aliis permittimus. Si enim vox articulata ei [a] natura concessa est: nihil prohibet eum omnia quæ voluerit facere: quia scimus quosdam jurisperitos et hoc subtilius cogitasse, et nullum esse exposuisse, qui penitus non exaudiat, si qui supra cerebrum illius loquatur, secundum quod Jubentio Celso placuit. In eo autem, cui morbus postea superveniens auditum tantummodo abstulit, nec dubitari potest quin possit omnia sine aliquo obstaculo facere. Sin vero aures quidem apertæ sint, et vocem recipientes, lingua autem ejus penitus præpedita: licet a veteribus auctoribus sæpius de hoc variatum est: attamen si hunc peritum litterarum esse proponamus, nihil prohibet eum scribentem hæc omnia facere, sive naturaliter, sive per interventum morbi hujusmodi infortunium ei accesserit: nullo discrimine, neque in masculis, neque in fœminis in omni ista constitutione servando. — Dat. 15 kalend. Mart. *Constantinop.* post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. 531.

11. *Idem,* A. Joanni P. P.

Nemo ex lege, quam nuper[31] promulgavimus, in rebus quæ parentibus acquiri non possunt, existimet aliquid esse innovandum, aut permissum esse filiisfamilias[32] cujuscunque gradus, vel sexus testamenta facere sive sine patris consensu bona possideant secundum nostræ legis distinctionem, sive [cum][33] eorum voluntate. Nullo etenim modo hoc eis permittimus: sed antiqua lex per omnia conservetur, quæ filiisfamilias, nisi in certis casibus[34], testamenta facere nullo modo concedit, et in his personis quæ hujusmodi facultatem habere jam concessæ sunt. — S. Dat. kal. septemb. *Constantinop.* post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. 531.

12. *Idem,* A. Joanni P. P.

Omnes omnino quibus quasi castrensia[35] peculia habere [ex legibus] concessum est, habeant licentiam in ea tantummodo ultimas voluntates condere, secundum nostræ constitutionis tenorem, quæ talibus testamentis de inofficiosi[36] querela immunitatem præstitit. — Dat. 3 non. decemb. *Constantinop.* post consulatum Lampadii et Orestis VV. CC. 531.

TIT. XXIII.

DE TESTAMENTIS ET QUEMADMODUM[1] TESTAMENTA ORDINENTUR.

1. Imp. Hadrianus A. Catonio Vero.

Testes, servi an liberi fuerint, non in hac causa tractari oportet: cum eo[2] tempore quo testamentum signabatur, omnium consensu liberorum loco habiti[3] sint, nec quisquam eis usque adhuc status controversiam moverit. — *Sine die et consule.*

2. Imp. Alex. A. Expedito.

Publicati[4] semel testamenti fides, quamvis ipsa materia, in qua primum a testatore scriptum relictum fuit casu, qui probatur, intercidit[5], nihilo minus valet[6]. — P. P. kal. Januar. Fusco 2 et Dextro Conss. 226.

3. *Idem,* A. Antigono.

Ex imperfecto testamento nec imperatorem[7] hereditatem vindicare posse, sæpe constitutum est. Licet enim lex imperii solennibus juris imperatorem solverit[8]: nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus[9] vivere. — P. P. 2 kal. Januar. Lupo et Maximo Conss. 233.

4. Imp. Gordianus A. Rufino.

Si in[10] nomine, vel prænomine[11], seu cognomine [seu agnomine] testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertum sit: error hujusmodi nihil officit veritati. — P. P. 12 kal. Januar. Gordiano A. et Aviola Conss. 240.

5. Impp. Valerianus et Gallienus AA. Lucullo.

Neque professio[12], neque adseveratio[13] nuncupantium filios, qui non sunt, veritati præjudicat: et quæ ut filiis testamento relinquuntur, juxta ea quæ a principibus statuta sunt, non deberi, certi juris est. — Accep. 6 non. Jul. Valer. et Gallien. AA. 3 et 2 Conss. 526.

6. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. Terentiæ.

Verba[14] testamenti, quibus mater vestra decedens, nihil se cuiquam donasse significavit: si res se aliter habet, fidem[15] veri non perstringunt. — P. P. 3 non. novemb. Diocletiano A. et Aristobolo Conss. 285.

7. *Iidem,* AA. Rufinæ.

Errore scribentis testamentum juris solennitas mutilari nequaquam potest, quando minus scriptum[16], plus nuncupatum videtur: et ideo recte testamento condito, quanquam desit, *heres*[17] *esto:* consequens est, existente herede legata seu fideicommissa juxta voluntatem testatoris oportere dari. — P. P. 17 kal. februar. ipsis AA. 4 et 2 Conss. 290.

8. *Iidem,* AA. Marcellino.

Casus majoris ac novi[18] contingentis ratione, adversus timorem contagionis quæ testes, deterret, licet aliquid de jure laxatum est: non tamen prorsus reliqua testamentorum solennitas perempta est. Testes enim hujusmodi morbo oppressos eo tempore jungi atque sociari remissum est:

26. L. 17, L. 20, § 4, D. eod. — 27. L. 14, D. de off. præsid. — 28. *Confer.* L. 7, D. h. t.; § 3, Inst. quib. non est permiss. fac. testam.; § 2, Inst. de testam. milit. — 29. L. 21, D. de legat. 3. — 30. *Immo vide* L. 1, D. qui et a quib. manum. — 31. L. 6, infr. de bonis quæ lib. — 32. L. 3, § 1, supr. tit. prox.; L. 6, pr.; L. 16, pr.; L. 19, D. h. t.; *vide tamen* L. 25, in fin. D. de mortis causa donat. — 33. d. L. 25. — 34. L. ult. infr. h. t. pr. Inst. quib. non est permiss. fac. testam.; L. ult. supr. de inoff. test. — 35. d. L. ult. — 36. d. L. ult.

Tit. XXIII. — 1. Lib. 28, D. 1; Lib. 2, Inst. 10; *adde* N. 107, N. Leon. 41, 42, 43, 44, 69, 81. — 2. L. 22, § 1, D. qui testam. facere poss. 2, Feud. 19, in fin. — 3. § 7, Inst. h. t. — 4. L. 18, L. 23, infr. eod. — 5. L. 11, infr. eod. — 6. L. 5. supr. de fide instrum. — 7. L. 23, D. de legat. 3; L. 20, infr. h. t.; *fac.* L. 7, supr. tit. prox.; *adde* L. ult. D. qui testam. fac.; L. 4, infr. ad leg. Falcid. — 8. L. 31, D. de legib.; N. 105, c. 2, in fin.; § ult. in fin. Inst. quib. mod. testam. infirm. — 9. d. § ult.: L. 4, supr. de legib.; L. 7, supr. tit. prox.; L. 23, D. de legat. 3; L. 4, infr. ad leg. Falcid.; *adde* L. 91, in fin. D. de hered. instit. — 10. § 29, Inst; L. 7, § 1, infr. de legat.; L. 9, § 1, D. de contrah. empt.; L. 21, § 1, D. qui testam. fac.; L. 1, D. de injust. rupt. irrito facto testam.; L. 48, in fin. D. de hered. instit.; L. 17, D. de condit. et demonstr.; L. 52, D. de verb. oblig.; *adde* L. 26, supr. de sacros. eccles. — 11. d. § 29; d. L. 21, § 1, D. qui testam. fac. — 12. L. 14, supr.; L. 29, D. de probat.; L. 6, supr. de fide instrum.; L. 12, D. de jure patronat.; L. 46, pr. D. de jure fisci; L. 4, infr. de hered. instit. — 13. d. L. 14, supr. de probat. — 14. *Adde* L. 17, § 1, D. de doli mali et met. except. — 15. L. 1, supr. arbitrium tut. — 16. L. 9, § 2, D. de hered. instit. — 17. L. 1, § 5, D. d. t. — 18. L. 28, vers. et si quidem, infr. h. t.